



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

§. Huiusmodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

& malitiam Capituli, & cum causa cognitione.

2. *Talis autem Visitor seu Administrator constitutus ab alio, quam à Papa, non potest ea beneficia conferre; quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent.*

1 **R**atio est: Quia ad Capitulum, vacante Sede pertinet ius administrationis: quod illi Archiepiscopus auferre non potest, absque causa necessitatis. Sin autem necessitas postulare videatur, tum iura dant Archiepiscopo hanc potestatem, causâ prius iudicialiter cognitâ. At verò Summus Pontifex ob plenitudinem potestatis suæ Administratorem liberè deputare potest, sed non solet, si Capitulum nihil deliquerit.

§. Huiusmodi.

- 2 **A**dministratores, qui Sede Vacante, ab alio, quam Summo Pontifice constitui-

tur, non potest ea beneficia conferre, quæ ad liberam Episcopi collationem spectant: licet alioquin tam in spiritualibus, quam temporalibus legitimam administrationem habeat.

Ratio est: Quia Administrator fructus ac redditus Episcopatus successoribus conferre debet e. vlt. d. 61. Collatio autem libera beneficiorum veluti inter fructus Episcopatus computatur: Ergo &c. Accedit, quòd Administratori, quamvis cum libera constituto, donare non est concessum, vt dixi supra hoc lib. & tit. c. 2. Collatio autem beneficij veluti donatio quædam est, vt etiam appellatur in c. 3. extrâ, hoc tit. Sin autem collatio beneficiorum communi ad Capitulum & Episcopum pertinet, tum vacante Sede, vnâ cum Capitulo conferat Administrator, vti Gl. hic notauit.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, ET QUALITATE ORDINATIONVM,



Via Prælatorum, maximè Episcoporum proprium est, primam tonsuram & ordines conferre, ideo de his tractatus hoc loco instituitur.

CAPITVLVM I.

Subdiaconos.

SVMMARIVM.

Diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes ab alio, quam Papâ, sacri ordines conferri non possunt: possunt tamen diebus Dominicis & festis ordines minores conferri, & virgines consecrari, quibus anno ætatis 25. velum consecratio-

nis dare proprium est Episcopi, alijs delegari non potest, nisi à solo Papa, velum autem continentia etiam simplex sacerdos dare potest.

1 **I**n hoc c. tria asserit Alexander III. Papa. Primum: Subdiaconos nemini, præter Romanum Pontificem, die Dominica ordinare concessum est. Quod etiam statutum leges in Concilio Lateranensi sub eodem Alexandro, in appendice tit. de dispositione Clericorum, n. 23. Subdiaconatus enim inter sacros ordines numeratur: sacros ordines verò tantummodò in Quatuor ieiuniorum Temporibus conferre licitum est, vti ibidè habetur n. seq. Excipitur verò plenitudo potestatis Papalis, quæ ob speciale priuilegium, eiusmodi legibus, quoad propriam personam, non adstringitur.

Alterum.